



## **Consilia Seu Responsa Juris**

**Schmalzgrueber, Franz**

**Augusta Vindelicorum & Ratisbonae, MDCCXL**

Cons. LXI. Locationis. Deciditur, posse etiam ad longum tempus absque  
solennitatibus locari Res Ecclesiæ parum utiles.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72304](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-72304)

rum internum omni carere probabilitatis specie. Nam imò ut dictum est ad questionem 1<sup>am</sup> potest Religiosus peccare graviter contra paupertatem, quin peccet graviter contra iustitiam in punto furti: ex ratione, quia, ut dictum est ad questionem 2<sup>am</sup>, 2<sup>do</sup> contra votum paupertatis peccat, qui re aliquā tanquam propriā utitur; quod sit, quando rem aliquam seu domi suę, seu foris, sine Superioris sui licentia expressa, tacita, vel præsumptā, accipit, retinet, absimit, donat alteri, destruit &c. Et quidem hoc peccatum grave, vel leve est pro quantitate materia. Porro 3. per dicta ad questionem 3<sup>am</sup> licet communis sententia DD. sit, quantitatē illam, quæ sufficiens est ad peccatum mortale furti, etiam sufficientem esse ad constituendum peccatum mortale contra paupertatem Religiosam, hæc tamen regula non debet nudè spectari; nam, ut dictum est n. 30. & duobus seqq. in materia furti, plerique DD. admittunt quantitatē respectivam, ita, ut ad constituendum peccatum grave in ratione furti major requiratur in divate, quam in paupere, in filio quam in extra-neo &c. non tamen hoc discrimen procedit quoad mensurandam gravitatem peccati contra paupertatem Religiosam, quippe in qua per ea, quæ dicta sunt num. 33. & 34. 4. gravitas, vel levitas peccati desumi debet ex materia furti, in quantum illa, sine respectu ad personas, secundum se gravis, vel levis esset. Pro gravi autem secundum se materia censeri debet, quæ furto sublata, graviter conducebat ad actiones humanas, & hominum necessitates sublevandas. In quo

5. multū interest, an Religiosus solum utatur re aliqua absque licentia Superioris, quam deinde post usum restituet integrum; item an, quæ sine licentia accipit, sint esculenta, & poculenta; & de-nique, an simul rem aliquam accipiat in quantitate, an verò successivè per plures transgressiones leves: Nam per dicta num. 35. & duobus seqq. major requiritur quantitas in usu duntaxat rei, salvâ substan-tiâ, quam in consumptione; item in po-culentis, & esculentis, quam in aliis re-bus ad alium usum servientibus; nec mi-nus in pluribus acceptationibus levibus, quam in una gravissimul acceptâ, vel re-tentâ sine licentia. 6. Quoad res escul-entas, & poculentes communis DD. sen-tentia determinationem quantitatis, suf-ficientis ad constituendum peccatum gra-ve contra paupertatem, relinquit arbitrio prudentum, regulando ex qualitate rerum, aliisque circumstantiis. In aliis rebus per ea, quæ dicta sunt num. 38, quidam eam definiunt ad valorem trium, vel quatuor argenteorum. Qui benignissimi sunt, eandem ampliant ad unum au-reum; neminem autem inveni, qui do-ceat, valorem trium aureorum etiam in Monasterio ditissimo, constituere ma-teriam levem quoad violationem pauper-tatis. Atque ideo opinio, ita laxas paupertatem, videtur neutiquam tolerari posse, ipseque Arbogastus condemnandus erit de violata graviter paupertate, etiam si longè minorem summam cleplisset, quippe cum nullus Superior, etiam in locupletissimo Monasterio, præsumatur non esse graviter invitatus. Ita salvo meliore &c.

## CONSILIO LXI.

### In causa locationis conductionis rei Ecclesiastice.

#### S U M M A R I U M.

1. *Facti species.*
2. *Res immobiles Ecclesia non permittuntur lo-cari absque solennitate ad longum tempus.*
3. 4. *Excipiuntur res modica, Ecclesia parumuti-les,*
5. 6. *Deciditur posse in substrato casu fieri locatio-nem absque solennitate.*

#### FACTI SPECIES.

I.

**H**abet Monasterium S. Juliani quandam Cauponam, à multis jam annis cre-ctam, quæ jus qui-dem vendendi vi-num, cerevisiam praxandi &c. nul-lostamet alios fun-dor, vel bona immobilia possidet. Sole-

bat hospitium istud hucusque locari de anno in annum. Vellit autem Reverendissimus loci Prælatus nunc illud locare ad vitam Conductoris; idque ob sequentes rationes. 1<sup>o</sup> quia ad brevius tempus sibi locatum nemo, Oeconomiz peritus, & mediis instructus illud vult acceptare. 2<sup>o</sup>. quia ex annua ejus locatione haec-nus Monasterium plus detrimenti, quam emolumenti accepit. Exemplum est ulti-mus

mus Conductor, qui finito locationis tempore, minimum ad 100. fl. Monasterio in ære mansit, cum modica spe accipiendæ ab eo solutionis. 3tio quia simili modo ad vitam Conductoris etiam ab antecessoribus Prælatis sine alia solennitate locatum fuit molendinum, quod tamen majoris est aestimationis, quam dictum hospitium. 4tio quia talis ad vitam Conductoris durans locatio fieret cum evidenti, & ad oculum demonstrabilis utilitate, & commodo Monasterii. 5tio quia in ita frequenter eligendo novo Conductore idoneo à Capitularibus, quibus proponi res debet, dum hic uni, ille alteri favet, raro obtineri potest consensus. His rationibus stantibus

## QUÆRITUR

*An memoratum Hospitium absque alia solennitate locari ad vitam Conductoris possit?*

**R**atio dubitandi est 1. quia res immobiles Ecclesiæ (qualis est dictum hospitium cum suis iuribus) per Clem. 1. & Extrav. ambitiose de reb. Eccl. alienand. non ad longum, sed ad breve duntaxat tempus locari permittuntur. Pro tali autem brevi tempore 2. per ea, quæ tradunt

Azot p. 2. lib. 7. c. 10. q. 3. Barbos. lib. 3. jur. Eccl. c. 30. n. 30. Gibalbin. tom. 2. de negot. lib. 4. c. 8. art. 4. conf. 11. n. 5. Zoës. ad tit. de Locat. & conduct. n. 4. Schambog. ibid. n. 2. Pirhing. dist. tit. n. 21. Wieschner n. 6. & alii passim, & patet ex Extr. cit.

Jure novo habetur triennium: consequenter 3tio locationes rerum Ecclesiasticarum ultra triennium, si absque solennitatibus, & consensu Apostolico fiant, prohibentur: multò ergo magis, quæ durate deberent ad vitam Conductoris. Nec sufficit, eti in longiore hujusmodi locatione evidens Monasterii versetur utilitas; nam 4tio ejusmodi res neque in casu, quo justa, & necessaria causa subest, sine interventu solennitatum alienari (consequenter neque ad longum tempus locari, quippe cum talis locatio alienationi æquipareatur) licet, & validè possunt, prout colligitur ex

can. sine exceptione 52. caus. 12. q. 2. c. irrita 1. c. cum nos 3. & c. tua nuper 8. de his, quæ à Prælat. c. quis 6. de reb. Eccl. non alien. c. dudum & c. fin. eod. in 6. Clem. Monasteriorum. & Extrav. ambitiose ibid.

Sed, ut ut doctrina hæc per se certa sit, regula tamen, inde sumpta, non est perpetua; excipiuntur enim ab ista res mo-

dice, & exigui valoris; nam istæ locari possunt non ad decennium tantum, sed ad quocunque tempus, cum omnino alienari possint absque solennitate per jus requisita, etiam si immobiles sint, prout notant

Redoan. tract. de reb. Eccl. non alien. rubr. 12. n. 5. Gratian. Discept. for. c. 452. à n. 2. Quarant. V. alienatio n. 41. Piasec. prax. Episc. p. 2. c. 5. art. 4. n. 24. Leo thes. for. Eccl. p. 1. c. 15. n. 6. Laym. l. 3. tract. 4. c. 10. n. 5. in fin. Macard. de probat. concl. 277. n. 12. Barbos. de Offic. Episc. alleg. 95. n. 50. Palao tract. 12. D. un. p. 15. S. 2. n. 4. Donat. tom. 1. prax. reg. p. 2. tract. 14. q. 36. cum aliis, & sumitur ex can. terrulas 53. caus. 12. q. 2. c. caterum 3. de Donat. & praxi Prælatorum.

modò res, de cuius alienatione, vel ad longum tempus locatione agitur, sit re ipsa res modica, eaque Ecclesiæ parum, aut omnino non utilis, & adsit necessitas.

Porro hæc omnia in præsenti casu concurrunt; nam imò in hoc agitur de locando puro, & nude hospitio; quod quidem jus vendendi vinum, praxandi cœrevitiam &c. nullos tamen fundos alios ad se pertinentes habet; adeoque censerit debet res modica. 2dò Locatio illius de anno in annum, vel de triennio in triennium per dicta num. 1. plus damni, quam emolumenti Monasterio affert, quippe cum nemo, mediis provisus, illud hoc modo velit conducere, mediis autem destituti, si conducant, finito locationis tempore, in ære maneant Monasterio, cum exigua spe obtainendæ solutionis: proinde est res, quæ, si ad breve solum tempus locetur, vel nullum, vel exiguum fructum affert, & sic inter res inutiles hospitium istud, ad breve tempus locatum, connumerari debet. 3tio, adest evidens, & ad oculum demonstrabilis utilitas, si ad vitam Conductoris locetur; nam hoc modo locatum inveniet Conductores, locupletes, & mediis provisos, qui mercedem locationis Conductionis Monasterio solvent: contrà verò, si ad breve tempus locetur, illud conducederit non nisi mediis destituti, & impotentes ad mercedem Conductionis solvendam cum damno ipsius Monasterii, quod indicat etiam necessitatem.

**DICENDUM** ergo, posse Hospitium istud, his stantibus, & posito, quod ipsum Monasterium illud cum utilitate per quæstionem administrare nequeat, validè, & licet sine aliis solennitatibus locari ad vitam conductoris; nam & aliæ res Ecclesiæ inutiles sine iisdem solennitatibus alienari possunt, ut sunt domus intra urbem, quibus

con-

4.

conservandis s<sup>e</sup>p<sup>e</sup> plus impendendum est, quām inde capiatur utilitatis.

*can. non liceat 20. & can. sine exceptione*

*§ 2. §. item domus. caus. 12. q. 2.*

item terræ, & res immobiles Ecclesiæ, si nullum, aut exiguum fructum afferant.

*c. ad aures 7. & c. ut super 8. §. possessiones.*

*dereb. Eccl. non alien.*

6. Sicut autem, quando ejusmodi res immo-

biles modicæ, & parvum utiles distrahantur, illorum loco comparari alia bona magis utilia debent, ita etiam, quando locantur ad longum tempus, locari debent pro mercede cum proportione ad rem locatam justâ, & quidem tali Conductor, à quo moraliter certò speretur mercedis conveniæ solutio, ut sic Prælatus rem Ecclesiæ suo meliorem faciat.



## CONSILIO LXII.

### In causa incompatibilitatis Beneficiorum ratione Residentiæ requisitæ.

#### S U M M A R I U M.

1. 2. Facti species.

3. Quæstiones discutienda.

4. Dispensatus ad duplex Beneficium retinendum, dispensatus censetur circa tempus Residentia, si incompatibilitas ratione temporis in supplicatione fuit expressa.

5. seqq. Rationes dubitandi.

9. Si simpliciter dispensatur in dualitate Beneficiorum, non censetur dispensatum in Residentia.

10. Dispensatio super percipiendis fructibus in utroque Beneficio, quomodo sit intelligenda?

11. Pontifex non censetur derogare statutis particularibus, nisi exprimat.

12. Dispensatio est strictæ interpretationis:

13. Uti etiam Privilegium juri communis derogans

14. Dispensatio in pluralitate Beneficiorum est utilis, etiam si fructus non utrinque possint percipi.

15. Dispensatio potest extendi ad ea tantum, quæ inseparabiliter sunt connexa.

16. Dispensatio de retinenda duplice præbenda, intelligitur etiam de fructibus percipiendis, modo Residentia fiat tempore utrobique requisiuta.

17. Deciditur quæstio.

#### FACTI SPECIES.

I.



Tiburtius, habens Canonicatum, & præbendam in Insigni collegiata Ecclesia A. obtinuit nuperrimè à sancta Sede Apostolica aliud Canonicatum, & præbendam facularis, & forsitan insignis Collegiata A. quos tu ad præsens obtines, ut prius, quoad vixeris, retinere liberè, ac licet valeas, constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac, ut præfertur, roboratis statutis, & consuetudinibus contrariis nequam obstantibus, Apostolicâ autoritate præfata earundem tenore præsentium de specialis dono gratia dispensamus proviso, quod interim ambo Canonicatus, & præbenda debitum propterea non fraudentur obsequiis, sed eorum congruè supportentur onera consueta.

2. In Collegiata Ecclesia A. juxta Tridentini Concilii præscriptum, quod ibi viget,

singulis annis requiritur pro perceptione fructuum residentia novem mensium; in Cathedrali B. autem per hujus statuta novus Canonicus, ut ad Capitulum, & fructuum perceptionem admittatur, primo anno strictam novem mensium residentiam completere debet, quibus novem mensibus integris in dicta Cathedrali nec de fructibus grossis, nec de distributionibus ne obolum quidem accipit: reliquis autem annis sequentibus, post primum residentia annum longior quām sex mensium residentia non requiritur. Dicitur hæc Cathedralis Ecclesia à Collegiata prædicta itinere unius die cum dimidio.

#### Quæstiones discutienda.

Quæritur in mō an Tiburtius vigore hujus dispensationis, ultra tres mensēs, à Tridentino permisso, aliis sex mensibus continuis ab Ecclesia Collegiata absente, & nihilominus integrum corpus, seu fructus grossos tutâ conscientiâ percipere possit, ne alias tempore novem Mensium, quo primam residentiam facere in Cathedrali debet, propriis stipendiis militare cogatur? Et si forsitan hoc tempus sex mensium